LOS PRIMEROS DVBIOS QVE EL Sr. ARZOBISPO DE SEVILLA propuso en la Sacra Congregacion del Concilio, son los siguientes.

1. AN Archiepiscopus posit solus, sine consilio, vel assensu Capituli visitare Fabricam Ecclesiæ Cathedralis, eius bona, & redditus, mensam Capitularem, fundationes, & dotationes, & alia opera pia ipsi Cathedrali aggregata, vel annexa: nec non res, & bona Capituli, tàm prouenientia ex pijs relictis, quàm ex decimis, & alio quocumque titulo provenientibus, eorumque administratores, etiam si in dictis bonis Archiepiscopus habeat interesse?

2. An ipse Archiepiscopus posit visitare Capitulum Cathedralis, eiusque Capitularium personas sine Adiunctis?

3. An constet de validitate, & observantia Statuti de anno 1351. à Capitulo exhibiti, ita vt Archiepiscopus ob illud impediatur procedere in casu Visitationis contra Capitulares sine Adiunctis, iuxta præscriptum in cap. 4. sess. 6. & cap. 6. sess. 25. Trident. de reformatione?

4. An ipse Archiepiscopus solus, tàm in actu Visitationis quàm extra posit criminaliter procedere sine Adiunctis contra Portionarios, & Dimidios Portionarios dictæ Ecclesiæ Cathedralis?

LOS SEGVNDOS DVBIOS, QVE DICHO Sr. ARZOBISPO propuso en la mesma Sacra Congregacion del Concilio tocantes al Synodo, son los siguientes.

5. An Archiepiscopus sine sui Capituli consensu posit indicere, & convocare Synodum?

6. An ipse Archiepiscopus sine sui Capituli consensu posit in Diocesana Synodo condere Statuta, & Constitutiones de rebus arduis, & grauibus?

7. An Syndicus, vel Canonici à Capitulo deputandi ad interessendum Synodi celebrationi debeant subscribere Synodum vnà cum ipso Archiepiscopo?

8. An sit necessarius Clericorum assensus in Synodo interessentium; taliter quod maior pars posit contradiendo omnium, seu alterius Constitutiones exitum retardare?

9. An Syndicus vel Canonici à Capitulo deputandi adhuc præsente Archiepiscopo posint, & debeāt præcedere in loco Vicarium generalem?

DESPVES PROPVSO EL DICHO Sr. ARZOBISPO los treinta y vn Dubios siguientes en la Sacra Congregacion de Ritos.

10. An ad Archiepiscopum pertineat præfinire quò, quando, & quà dirigendæ, ac ducendæ sint Processiones, non obstante consuetudine contraria immemorabili?

11. An ad Archiepiscopum pertineat Processiones consuetas transferre ex causa pluuiæ, vel alià causà suo iudicio legitima? Idque an sine vel cum Capituli consilio, àut consensu? An vero spectet ad Capitulum sinè consensu Prælati?

12. An ad Vicarios generales Archiepiscopi spectet indicere, dirigere, & gubernare Processionem Sanctissimi Corporis Christi, & decidere discrimina, quæ in ipsa forte euenirent?

13. An assistente Archiepiscopo, liceat Præbendatis Diacono, & Subdiacono adducere facere post se subsellia, seu scabelos per dictam Corporis Christi Processionem, in quibus quando Processio detinetur, assolent considère? Et an Archiepiscopo non assistente possint ad eundem finem post se adducere sedes ornatas brachijs, & postergali, quas imperiales vocant?

14. An possit, & debeat Archiepiscopus prohibère, ne in solemnitate Corporis Christi admittantur in Presbyterio, Choro, nec aliqua parte Ecclesiæ Cathedralis choreæ mulierum, & virorum personatorum, qui tripudiant indecenter induti, & cooperti pileis ante Sanctissimum Sacramentum non obstante consuetudine, seu corruptela introducta?

15 An liceat Capitulo Cathedralis stabilire sextum in Ecclesia colorem, quandoquidem adhibet ceruleum, in die scilicet, & octava Conceptionis B. Mariæ Virginis, inconsulto Archiepiscopo, & inconsulta Sacra Congregatione? Et an debeat corrigi prædictus excessus?

16 An liceat Diacono, & Subdiacono tempore Quadragesimæ, loco Planetarum complicatarum, alias ferre consimiles Planetis Græcorum; in quo vsu fiunt singulares inter omnes Hispaniarum Ecclesias?

17 An liceat permittere, quòd Acolythi inseruientes ad portanda cerea, & Thuribula in Missis solemnibus induantur Albis, & Dalmaticis? Et Acolythi pueri, quos *Seises* vocant, portantes sceptra in Processionibus, quæ fiunt intra Ecclesiam, induantur Plubialibus supra superpelliceum?

18 An Capitulum Carhedralis possit ex se solo, inconsulto Archiepiscopo, decernere super difficultatibus occurentibus circa recitationem Diuini Officij, & præcipere, vt in Ordinario ponatur earum resolutio pro tota Diœcèsi?

19 An Capitulum ex se solo possit decernere quod admittatur, vel non admittatur Officium de nouo à Sede Apostolica concessum?

20. An pertineat ad Archiebiscopum, non vero ad Decanum Ecclesiæ Cathedralis, nec ad Capitulum pro suo libitu præscribere quantum temporis durare debeant Sermones in Ecclesia Cathedrali, præcipue quando adest Archiepiscopus?

21. An sit liberum Archiepiscopo prædicare, & Missionem facere in eo loco Cathedralis, vbi regulariter concionari solitum est? Et an sit correctione dignum attentatum Capituli non permisisse Archiepiscopo, vt Missionem faceret in loco supra dicto, sed situm ei præscripsisse trans Chorum?

22. An liberum sit Archiepiscopo collocare suum Confessionarium in loco Cathedralis sibi bene viso, dummodo pœnitentium concursus non perturbet Diuina Officia? Et an sit corrigendum Capituli attentatum, quo Ar-

Archiepiſcopum impediuit,ne in Eccleſia Cathedrali,quemadmodum Canonicus Pœnitentiarius, coſtitueret Confeſsionarium pro audientis Confeſsionibus,aſsignando locum in Capella,quæ dicitur: *Il Sagrario*,ſegregata à Cathedrali ad effectum,vt ibi collocaret Confeſsionarium, ſi Confeſsiones audire vellet?

23. An ſit liberum Archiepiſcopo miniſtrare Sacramentum Euchariſtiæ, & Confirmationis in loco Eccleſiæ Cathedralis ſibi bene viſo, & ad Confirmationem aſsignare horam ſuo iudicio opportuniorem, quando Diuina Officia non perturbentur? Et an corrigẽdum ſit capituli attentatum, quia noluerit Archiepiſcopum miniſtraſſe intra ambitum Eccleſiæ generalem Communionem,& pro mane Sacramentum Confirmationis, neque in Presbyterio Altaris, ſed ſuo libitu tempus,& locum ei deſignauerit,nempè pro veſperè, atque vltra Chorum?

24. An Archiepiſcopus compellere poſsit Canonicum Pœnitentiarium quatenus aſsiſtat Confeſsionario tempore convenienti?

25. An poſsit Archiepiſcopus cogere Capitulum, vt cantentur duæ, vel plures Miſſæ in Altari Chori,quando ſic Cæremoniale diſponit? Vel an ſufficiat quod vna tantùm cantetur in dicto Altari, & altera priuatè celebretur in Sacriſtia,quaſi ianuis clauſis, & cum præpaucis Miniſtris, dum in Choro Nona canitur?

26. An in diebus alicuius feſtiuitatis, quæ forte inciderint intra hebdomadam Paſsionis,detegi poſsint Altaria,& Cruces? Et an Archiepiſcopus corrigere valeat hunc,& ſimiles exceſſus?

27. An Presbyter, Diaconus, & Subdiaconus genuflectere debeant ante Sanctiſsimum,quando tranſeunt ante Tabernaculum,quamvis deſcenderint è gradibus Altaris maioris? Et an detegi debeant ad ſalutandum Tabernaculum Sanctiſsimi ſemper, & quando tranſeunt ante illud, non obſtante conſuetudine in contrarium?

28. An valeat Archiepiſcopus in ſua Cathedrali Eccleſia corrigere deffectus & cæremonias,alios que abuſus, non obſtante quòd hanc facultatem arrogauerit Capitulum Decano,vel antiquiori Capitulari ex circumſtantibus, etiam præſente Archiepiſcopo?

29. An poſsit,& debeat Archiepiſcopus præcipere Capitularibus, vt obſeruent Cæremoniale, vbi repererit non obſeruari?

congreg. 30. An in Collecta: *Et famulos tuos*, prius nominandus ſit Pralatus, quàm populus,&exercitus?Et an poſsit,&debeat Archiepiſcopus corrigere abuſum,qui circa iſtud irrepſerit?

31. An ad Archiepiſcopum pertineat,nõ vero ad Decanum, præeſſe, & iubère, cum adeſt in Capitulo,&tenere campanellam, & herologium, quibus gubernatur concurſus ad Præbendas,non obſtante conſuetudine,ſeu corruptela in contrarium?

32. An Portionarij,& Dimidij Eccleſiæ Cathedralis accipere debeant flexis genibus ab Archiepiſcopo Palmam,Candelam,Cinerem,&Benedictionem, quando concionaturi, vel cantaturi ſunt Euangelium,aut Epiſtolam, non obſtante contraria conſuetudine,ſeu corruptela?

33. An intrante in Choro aliquo ex Præbendatis debeat Archiepiſcopus capite detegi ad eos reſalutandos?

34. An deceat Archiepiſcopum ſurgere,quando exeunt à Choro Præ-

ben-

bendati, vt induantur ad ministerium Altaris celebraturi solemniter Missam, Vesperas, vel Laudes? Et an quando reuertuntur, eodem modo recipi debeant? Et quando exeunt in cassu prædicto liceat illis operto capite salutare Prælatum?

35. An Diaconus, & Subdiaconus (licèt sacris vestibus induti) debeant capita sua detegere ad salutandum Archiepiscopum, quando ante ipsum transeunt, aut quandocumque ei tenentur facere reuerentiam?

36. An Presbyter, qui vadit ad aspergendum Chorum, debeat capite detecto facere Archiepiscopo reuerentiam, quando ante eum transit? Et an debeat sistere se, & caput inclinare quando cantatur *Gloria Patri*?

37. An tunc temporis liceat Diacono, & Subdiacono operto capite stare, atque eodem modo salutare Prælatum, maximè quando ob reuerentiam Presbyteri celebrantis, dum ante illos transit, capita detegunt?

38. An Archiepiscopus posit prohibère Canonicis, & cæteris Præbendatis, ne chirotecis, & alijs huiusmodi in Choro vtantur?

39. An Archiepiscopus posit interdicere Præbendatis, ne Diuinum Officium, nec alias deuotiones inter Missarum, seu Horarum solemnia privatim recitent?

40. An liceat Capitulo, dum fit in Missa Confesio, & in publicis Litanijs, Sanctos Patronos addere, seu invocare? Et an debeat Prælatus hanc consuetudinem, seu abusum corrigere?

Bolviò à poner dicho señor Arçobispo los quatro Dubios siguientes tocantes à Visita en la Sacra Congregacion del Concilio.

41. An Archiepiscopus posit solus, sine consilio, vel assensu Capituli visitare Fabricam Ecclesiæ Cathedralis, eius bona, & redditus, mensam Capitularem, fundationes, & dotationes, & alia opera pia ipsi Cathedrali aggregata, vel annexa, nec non res, & bona Capituli, tam provenientia ex pijs relictis, quàm ex decimis & alio quocumque titulo provenientibus, eorumque administratores, etiam si in dictis bonis Archiepiscopus habeat interesse?

42. An ipse Archiepiscopus posit visitare Capitulum Cathedralis, eiusque Capitularium personas sine Adiunctis?

43. An constet de validitate, & observantia Statuti de anno 1351 à Capitulo exhibiti, ita vt Archiepiscopus ob illud impediatur procedere in casu Visitationis contra Capitulares sine Adiunctis, iuxta præscriptum in cap. 4. sess. 6. & cap. 6. sess. 25 Trident. de reformatione?

44. An Ipse Archiepiscopus solus, tàm in actu Visitationis, quàm extra posit criminaliter procedere sine Adiunctis contra Portionarios, & Dimidios Portionarios dictæ Ecclesiæ Cathedralis?

Asignada por la Santidad de Alexandro VIII. de buena memoria la Congregacion pro Concordia para los Dubios declarados, y por declarar, repropuso dicho señor Arçobispo los Dubios siguientes.

45. An ad Archiepiscopum, adhibito consilio Capituli tantum, pertineat præfinire quò, quando, & quà dirigendæ, ac deducendæ sint Processiones tàm ordinariæ, quàm extraordinariæ?

An

46. An ad Archiepiſcopum pertineat Proceſsiones conſuetas transferre ex cauſa pluuiæ, vel alia cauſa ſuo iudicio legitima, idque an ſine, vel cum Capituli conſilio, aut conſenſu? An vero ſpectet ad Capitulum, ſine conſenſu Prælati?

47. An ad Vicarios generales Archiepiſcopi tàm ipſo præſente, quã abſente ſpectet indicere, dirigere, & gubernare, etiam circa modum incedendi Proceſsionem Sanctiſsimi Corporis Chriſti, & decidere diſcrimina, quæ in ipſa forte euenirent?

48. An celebrante Archiepiſcopo, ſeu ſolum aſsiſtente, vel etiam ipſo abſente liceat Subdiacono aſſocianti Crucem Capituli, necnon Sacerdoti celebranti, ac Subdiacono, & Diacono ipſi aſsiſtentibus in Proceſsione Sanctiſsimi Corporis Chriſti adducere facere poſt ſe ſcabellos, ſeu ſedes ornatas brachijs, quas Imperiales vocant, in quibus, quando Proceſsio detinetur aſſolent aſsidere?

49. An poſsit, & debeat Archiepiſcopus prohibere ne in Feſtiuitate & Octaua Corporis Chriſti fiant in Eccleſia Cathedrali ſaltus, ſeu Danzæ, à mulieribus, & viris perſonatis pileis coopertis ante Sanctiſsimum Sacramentum, non obſtante conſuetudine introducta?

50. An tempore Quadrageſimæ Diaconus, & Subdiaconus aſsiſtentes celebranti teneantur deferre Planetas complicatas ad præſcriptum Cæremonialis?

51. An liceat permittere quod Acolithi inſervientes ad portandos cereos, & thuribula in feſtiuitatibus, & Miſsis ſolemnibus induantur Dalmaticis benedictis, aut non benedictis, & Acolithi pueri quos *Seiſes* vocant portantes ſcepta, & canentes Verſiculos, & Reſponſoria in Proceſsionibus, quæ fiunt intra Eccleſiam induantur Pluvialibus benedictis, vel non benedictis ſupra ſuperpelliceum?

52. An Archiepiſcopus Hiſpalenſis ſine ſui Capituli conſenſu poſsit in Diœceſana Synodo condere Statuta, & Conſtitutiones de rebus arduis, & grauibus?

53. An Syndicus, vel Canonici à Capitulo deputandi ad intereſſendum Synodi celebrationi debeant ſubſcribere eidem Synodo cum ipſo Archiepiſcopo?

54. An ſit neceſſarius aſſenſus Clericorum in Synodo intereſſentium, taliter quod maior pars poſsit omnium ſeu alterius Conſtitutionis extitum retardare?

55. An Syndicus, vel Canonici à Capitulo depurandi, adhuc præſente Archiepiſcopo, poſsint, & debeât præcedere in loco Vicarium generalem?

56. An Archiepiſcopus poſsit viſitare ſolus ſine Adiunctis Capitulum Eccleſiæ Cathedralis, eiuſque Capitularium perſonas?

57. An Archiepiſcopus poſsit ſolus ſine conſilio, vel aſſenſu Capituli viſitare Eccleſiam Cathedralem Parochiales, & Capellas dictæ Cathedrali annexas, vel ſubiectas, non obſtante quacumque aſſerta conſuetudine in contrarium?

58. An ipſe Archiepiſcopus poſsit punire quoſcumque Clericos deputatos ad curam Animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum in dictis Eccleſijs ſubiectis Cathedrali, & alijs Eccleſiſs quomodocumque exemptis?

59. An Archiepiscopus possit solus sine Adiunctis visitare Fabricam Ecclesiæ Cathedralis, eius bona, & redditus, mensam Capitularem, fundationes, & dotationes, & alia opera pia ipsi Cathedrali aggregata, vel annexa, necnon res, & bona Capituli, eorumque Administratores?

60. An ipse Archiepiscopus possit solus sine Adiunctis tàm in actu Visitationis, quàm extra exigere rationem administrationis decimarum à Capitulo, eiusque Administratoribus, quamvis super illis Archiepiscopus habeat interesse?

61. An vocante Archiepiscopo ad Visitationem, seu in ea demandante aliquid Canonicis, seu Præbendatis, & quibuscumque Officialibus, & alterius operis Cathedralis dictam Visitationem, eiusque actus concernens, in casu illorum non accessus, & inobedientiæ possit contra eosdem procedere per Censuras sine Adiunctis, & quomodo tali casu sese continere debeat Archiepiscopus?

62. An pertineat ad Capitulum aliquod ius visitandi iurisdictionaliter Ecclesiam Cathedralem, & alias Ecclesias ipsi Cathedrali annexas?

63. An ad Archiepiscopum, vel ad Capitulum pertineat Administratio Seminarij instituti in Ciuitate Hispalensi ad effectum educandi Pueros, pro seruitio Ecclesiæ, & quomodo, vel cum quo consilio, aut consensu spectet dicta administratio, cura, & regimen prædicti Seminarij?

64. An possit Archiepiscopus visitare dictum Seminarium, illiusque personas, res, & bona: & an in Visitatione adhibere debeat consilium duorum Canonicorum, quos ipse elegerit, vel potius visitare debeat cum Adiunctis deputatis à Capitulo?

65. An & quam iurisdictionem possit Archiepiscopus exercere in Hospitale S. Marthæ existente in Ciuitate Hispalensi, & quomodo ipsum eiusque personas, res, & bona possit visitare?

66. An & quam iurisdictionem Archiepiscopus valeat exercere, & quomodo debeat visitare Monialium Monasterium sub invocatione Incarnationis Domini existens in dicta Ciuitate Hispalensi?

67. An & quomodo pertineat ad Archiepiscopum, vel ad Capitulum Administratio decimarum Diœcesis Hispalensis?

68. An Archiepiscopus possit tàm in actu Visitationis, quàm extra criminaliter procedere sine Adiunctis contra Portionarios, & Dimidios Portionarios Ecclesiæ Cathedralis?

69. An possit Archiepiscopus prohibere Canonicis, & alijs Præbendatis ne vltra tres menses quotannis absint ab Ecclesia sub pœnis impositis à Tridentino?

70. An possit Archiepiscopus constituere tertiam partem fructuum Præbendarum in distributiones quotidianas ad formam Concilij Tridentini?

71. An Capitulum valeat sine notitia, licentia, vel consensu Prælati imponere censum, vel tributum seu onus perpetuum, aut ad tempus super Fabrica, seu mensa Capitulari?

72. An possit idem Capitulum sine licentia, notitia, aut consensu Archiepiscopi pignorari, vendere, alienare, seu in alium vsum cõmutare rem aliquam Ecclesiæ Cathedralis, præsertim Calices, aut alia vasa Sacra, vel supellectilia?

73. An Archiepiscopus in dictis casibus alienationum, de quibus in Dubio 71. & 72. casu quo Capitulum ad eas deveniat, debeat contra eumdem, seu consentientes procedere ad censuras, & quomodo?

74. An idem Capitulum posit prohibere Præbendatis Familiaribus Archiepiscopi eorumque cognatis ne ingrediantur Capitulum, nec in eo habeant votum, maxime quando non agitur de interesse personali ipsius Archiepiscopi?

75. An liceat quod Capitulum designet aliquos Præbendatos cum nomine Deputationis Secretæ ipsi tribuendo facultatem resolvendi circa res pertinentes ad Ecclesiam, absque eo quod dicti Deputati debeant in Capitulo distinctam relationé facere de rebus tractatis, & de ipsorum resolutionibus seu sententijs?

76. An & quomodo pertineat ad Capitulum, vel Decanum, seu alium ex Capitularibus præsidere, & iubere in Choro, & in Ecclesia præsente Archiepiscopo?

77. An ad Archiepiscopum pertineat, non vero ad Decanum præesse & iubere cum adest in Capitulo, & tenère campanellam, & horologium, quibus gubernantur concursus ad Præbendas?

78. An Archiepiscopus teneatur exquirere consilium, seu consensum Capituli, quando vult Pontificaliter celebrare, & alias functiones exercère, sed potius absque vllo consilio, seu assensu Capituli (isto tamen tempore debito monito) posit Pontificaliter celebrare, & dictas functiones exercère?

79. An resolutio Processionum, aliarumque functionum solemnium extraordinariarum, quas fieri decet in Ecclesia Cathedrali pro celebratione alicuius victoriæ, pro funere Summi Pontificis, aut Regis, & similia cum distinctione diei, & horæ præscribenda sit ab Archiepiscopo, seu potius a Capitulo?

80. An pertineat ad Capitulum, vel ad Archiepiscopum decernere super difficultatibus occurrentibus circa recitationem Diuini Officij, & casu quo ad vtrosque pertineat: an in Congregatione ad hunc effectum habenda debeat præsidère deputatus à Capitulo, vel ab Archiepiscopo?

81. An quando occurrit aliqua difficultas super asignatione diei pro officio nouiter concesso pertineat resolutio ad Archiepiscopum, vel ad Capitulum?

82. An pertineat ad Archiepiscopum non vero ad Decanum Ecclesiæ Cathedralis, necnon ad Capitulum pro suo libito præscribere quantum temporis durare debeant Sermones in Ecclesia Cathedrali, præcipue quando adest Archiepiscopus?

83. An liberum sit Archiepiscopo, prædicare, & Misionem facere in eo loco Cathedralis, vbi regulariter concionari solitum est?

84. An adhuc repugnante Capitulo sit liberum Archiepiscopo concedere aliquibus operarijs facultatem faciendi Misionem in Pulpito Cathedralis, siue in alio loco ipsi Archiepiscopo bene viso, aut commodiori, absque eo quod ipsum Capitulum posit ipsam Misionem prohibere, dummodo fiat quando Diuina Officia non celebrantur?

85. An sit liberum Archiepiscopo collocare suum Confesionarium in loco Cathedralis sibi bene viso, dummodo Pænitentium cõcursus Diuina Officia non perturbet?

86. An sit liberum Archiepiscopo ministrare Sacramenta Eucharistiæ, & Confirmationis in loco Ecclesiæ Cathedralis sibi bene viso, & ad Confirmationem assignare horam suo iudicio oportuniorem, quando Diuina Officia non perturbentur?

87. An idem Archiepiscopus compellere possit Canonicum Pænitẽtiarium, quatenus assistat Confessionario tempore convenienti?

88. An valeat Archiepiscopus in sua Cathedrali Ecclesia corrigere deffectus, & Cæremonias, aliosque abusus, non obstante quod hanc facultatem arrogauerit Capitulum Decano, vel alio Capitulari ex circumstantibus?

89. An possit, & debeat Archiepiscopus præcipere Capitularibus, vt obseruent Cæremoniale, vbi repererit non obseruari?

90. An possit Archiepiscopus prohibere ne in Ecclesia Cathedrali aliquid vernaculà linguà cãtetur, quod prius non fuerit ab ipso, seu eius Vicario generali approbatum?

91. An Archiepiscopus ad aliqua inconvenientia vitanda possit obligare, quod Portæ Ecclesiæ Cathedralis nocturno tempore claudantur hora competenti feria 5. in Cœna Domini?

92. An Archiepiscopus possit constringere Capitulum ad obseruanda mandata, & ordinationes Pontificis seu, exempli gratia: Imaginem Christi Crucifixi in Pulpito collocare, & similia?

93. An liceat Capitulo Cathedralis adhibere colorem ceruleum, seu quasi in die & octaua Conceptionis B. Mariæ Virginis?

94. An liceat permittere quod Acolithi ad portandos cereos, & thuribula in festiuitatibus, & Missis solemnibus induantur Albis benedictis, aut non benedictis?

95. An debeat Capitulum cantare duas, vel plures Missas in Altare Chori, quando sic Cæremoniale disponit, vel an sufficiat, quod vna tantum cantetur in dicto Altari, & altera priuatè celebretur in Sacristia, quasi ianuis clausis, & cum perpaucis Ministris, dum in Choro Nona canitur?

96. An debeat prohiberi Capitulo, ne relicto Choro, dum in eo dicitur Completorium, pergat ad recitandum in alijs Cappellis Ecclesiæ Vesperas Defunctorum, maximè quando adest Archiepiscopus, qui propterea, ne quasi solus, & indecenter remaneat, adstringitur domum suam redire, Completorio nondum recitato?

97. An generaliter possit, & debeat prohiberi, ne canente Choro Diuinum Officium, in Ecclesia Cathedrali quidquã aliud cantetur in vlla ipsius Ecclesiæ Capella?

98. An in die Epiphaniæ debeant in Cathedrali publicari Festa mobilia anni, vt Pontificale disponit?

99. An liceat eidem Capitulo suo arbitrio addere feria 4. Cinerum quamdam Processionem, in qua canuntur Litaniæ maiores, vt in Rogationibus; & an debeat terminare, & finire Litanias, quæ iuxta Rubricas canuntur ante Missam Sabbathi Sancti, & Vigiliæ Pentecostes?

100. An Sedes Prælati benedicentis cereos, & palmas, ipsasque & Cineres distribuentis collocanda sit in medio Altaris, ita vt Archiepiscopus terga vertat Tabernaculo, seu potius in parte dextera, vel sinistra?

101. An Diacono, qui assistit celebranti in ferijs Quadragesimæ liceat vti quodam velo loco Stolæ magnæ?

100, An

102. An in diebus alicuius feſtiuitatis, quæ forte inciderint intra Hebdomadam Paſsionis detegi poſsint Altare, & Cruces; & an Archiepiſcopus corrigere valeat hos & ſimiles abuſus?

103. An tempore Paſsionis liceat in aliquibus diebus oſtendere in Cathedrali quoddam Vexillum cum extraordinarijs cæremonijs, & cum publicatione Indulgentiarum?

104. An debeat prohiberi, ne in Feria 4. maioris Hebdomadæ ſcindatur in duas partes quoddam Velum album Altaris maioris, & explodantur fulmina artificialia intra Eccleſiam Cathedralem, cum in Paſsione peruenitur ad illa verba: *Terra mota eſt?*

105. An Diuina Officia, quæ celebrantur in Cathedrali poſt meridiem Feriæ 5. in Cœna Domini, & ante Depoſitionem Sacramenti à Sepulchro in Paraſceue debeant celebrari verſus Altare maius, & non verſus Sepulchrum.

106. An ſit permittendum Capitulo quod in Proceſsione Dominicæ Palmarum & Feriæ 5. in Cœna Domini, & forſam in alijs vtatur quadam Cruce Paſtorali vltra aliam Crucem ordinariam Eccleſiæ; & an liceat quod in prædicta Feria 5. in Cœna Domini, quando ex Sacriſtia portantur Olea ad conſecrandum deferatur prædicta Crux Paſtoralis à quodam Præbendato veſtibus Subdiaconalibus induto, & ponatur à dextris Crucis Prælati terga vertendo Sacramento?

107. An Feria 5. in Cœna Domini Archiepiſcopo in Miſſa ſolemni Communionem miniſtrante debeant aſsiſtentes, vel alij Miniſtri tenere Pixidem, & Patenam, vt Cæremoniale diſponit?

108. An Feria 6. in Paraſceue debeant Præbendati genuflectere quotieſcumque tranſeunt ante Crucem, in qua facta fuit adoratio.

109. An liceat ad dictam adorationem vti quadam Cruce magna ſine Crucifixo, & dictam adorationem facere cum cæremonijs extraordinarijs, & ſingularibus?

110. An Sabbatho Sancto debeat in Cathedrali vti Arundine cum tribus candelis in forma triangulari poſitis ad lumen Chriſti intonandum, vel ſufficiat, quod ad dictum effectum dictæ candelæ manu defferantur.

111. An Cereus qui tempore Paſchali accenditur in Cathedrali debeat eſſe ille idem qui Sabbatho Sancto benedicitur, & defertur ad fontem baptiſmalem, & non alius, qui propter exorbitantem magnitudinem non poteſt deferri ad dictam fontem?

112. An deceat Cuſtodiam vbi aſpertatur Sanctiſsimum Sacramentũ in Proceſsione Sanctiſsimi Corporis Chriſti, & eius octaua deferri per perſonas Sæculares, & viles & ſine Baldachino?

113. An Archiepiſcopus in Proceſsione Corporis Chriſti poſsit pro ſua deuotione, adhuc repugnante Capitulo, proprijs manibus deferre Sacramentum, non obſtante Decreto permiſsiuo à Cathedralibus Hiſpaniarum, vt dicitur, obtento, quod defferatur cum tota mole Tabernaculi geſtatorijs haſtilibus?

114. An Præbendati Eccleſiæ Cathedralis in dictâ Proceſsione Corporis Chriſti debeant indui Pluuialibus, vel alijs Paramentis Sacris.

115. An ingrediente Archiepiſcopo in Cathedrali ad aſsiſtendum Di-

uinis Officijs, & ab ipsa Cathedrali recedente post quam Pontificaliter celebrauit, vel Officijs Diuinis intervenerit, debeat pulsari Organum ipsius Cathedralis?

116. An liceat Dignitatibus asistentibus propè Archiepiscopũ Pontificaliter celebrantem sedere in scamnis cum postergali, & ornatis tela serica, & aurea, vel argentea: & an Præsbytero asistenti liceat sedere in cornu Epistolæ terga vertendo ad Altare?

117. An in solemnibus funeralibus, in quibus, Archiepiscopo celebrãte, quatuor Dignitates canunt responsoria, debeat Archiepiscopus sedere, vel stare coram Tumulo toto eo tempore quod consumitur cum dicta responsoria cantantur?

118. An in Officio Feriæ 6. in Parasceue, & in Missis Pontificalibus defunctorum debeant asistere Archiepiscopo præter Diaconum, Subdiaconum, & Presbyterum asistentem alij duo Canonici, vt in alijs Missis Põtificalibus?

119. An sit permitendum quod Dignitates asistentes Archiepiscapo in Pontificalibus adhibeant pro imponendis, & auferendis Mitris, quibus ipsi Dignitates in dictis casibus vtuntur, Clericos Seminari, qui etiam in Procesionibus immediatè post ipsas, & ante Archiepiscopum incedunt?

120. An Archiepiscopo Pontificaliter celebrãte debeat apponi Baldachinus, ac sedes, seu solium eleuatum super gradinis in forma decenti, & convenienti?

121. An Archiepiscopo Pontificaliter celebrante debeant esse omnes Canonici parati; & an asistentes Archiepiscopo teneantur in Vesperis intonare alternatim Antiphonas; & an deceat quod incensum defferatur ad Chorum per Acolitum, & non per Diaconum, ad hoc vt ipsum ministretur Archiepiscopo per Presbyterum asistentem?

122. An Archiepiscopo Pontificaliter celebrante debeat Subiaconus deferre sandalias, easque Archiepiscopo imponere; & an aliquis ex asistentibus bebeat tenere Palmatoriam, vel sufficiat, quod hoc munus adimpleatur per aliquem Cappellanum Ecclesiæ?

123. An Archiepiscopus Pontificaliter celebrans debeat sedere, vel stare quando ab ipso Pallium aufertur, & quandocumque publicantur solitæ indulgentiæ; & an istæ, quando Archiepiscopus non celebrat, debeant publicari in Altari à celebrante, vel in Choro ab asistente ipsi Archiepiscopo?

124. An Presbyter asistens ipsi Archiepiscopo debeat accedere ad Altare ad portandam pacem ipsi Archiepiscopo, vt Cæremoniale disponit, vel sufficiat quod Subdiaconus ipsam ministret cum instrumento?

125. An in Ecclesia Cathedrali Archiepiscopo portanda sit sedes nobilior illis, quæ præstantur Præbendatis ad Altare ministrantibus; & an posit Archiepiscopus adducere facere è propria domo sedem nobiliorẽ, & distinctam pro suo seruitio, absque eo quod valeat Capitulum ipsam impedire, nec retinere?

126. An deceat Capitulum in Ecclesia Cathedrali ministrare Archiepiscopo idem Missale, Palmatoriam, Breuiarium, &c. quæ ministrat ipsis Præbendatis, & in casu quo Capitulum diuersa, & nobiliora non habeat, seu mi-

miniſtrare recuſetiaň poſsit Archiepiſcopus propria, quæ habet afferre, & ſecum aſportare, prout facit de alijs Paramentis Pontificalibus?

127. An deceat incipere Officium Diuinum, ſeu aliquam Horam ipſius in Cathedrali ante quam Archiepiſcopus ſuam occupauerit ſedem, & in ſuo loco ſeſe conſederint Præbendati præſentes.

128. An in Choro ad recipiendum incenſum, ſeu aliud, quod forte diſtribuitur inter Præbendatos, debeant aſsiſtentes Archiepiſcopo præcedere Decano Cathedralis, quando ipſe prædicto Archiepiſcopo nō aſsiſtit?

129. An Præbendati concomitantes Archiepiſcopum recedentem à Choro teneantur aliquantisper ſeſe detinentem in Altare maiori, ſeu qualibet alia Capella Eccleſiæ ad effectum orandi expectare, & illi aſsiſtere?

130. An ſaltem duo ex Præbendatis debeant aſsiſtere Archiepiſcopo, etiam in functionibus rigoroſè non Pontificalibus; videlicèt, quando ipſe pergit ad alias Eccleſias Ciuitatis, ratione miniſtrandi Sacramentum Confirmationis, aſsiſtendi alicui feſtiuitati, vel audiendi Sermonem, ſiuè prædicandi, vel quando ipſe adminiſtrat Sanctiſsimum Viaticum, aut alias ſimiles functiones exercet?

131. An Presbyter, Diaconus, & Subdiaconus genufletere debeant ante Sanctiſsimum, quando tranſeunt ante Tabernaculum, quamvis deſcenderint è gradibus Altaris maioris, & fuerint in Choro: & an detegi debeant ad ſalutandum Tabernaculum Sanctiſsimi ſemper, & quando tranſeunt ante illud, non obſtante conſuetudine incontrarium?

132. An Portionarij, & Dimidij Eccleſiæ Cathedralis accipere debeāt flexis genibus ab Archiepiſcopo, Candelam, Cinerē, & benedictionem, quādo concionaturi, vel cantaturi ſunt Euangelium, vel Epiſtolam?

133. An intrante in Chorum aliquo ex Præbendatis debeat Archiepiſcopus capite detegi ad eum reſalutandum?

134. An deceat Archiepiſcopum ſurgere quando exeunt á Choro Præbendati, vt induantur adminiſterium Altaris celebraturi ſolemniter Miſſam, Veſperas, vel Laudes; & an quando reuertuntur eodem modo recipi debeāt; & an quando exeunt in caſu prædicto liceat illis operto capite ſalutare Prælatum?

135. An Diaconus & Subdiaconus (licet Sacris veſtibus induti) debeant capita ſua detegere ad ſalutandum Archiepiſcopum, quando ante ipſum tranſeunt, aut quandocumque tenentur facere ei reuerentiam?

136. An Presbyter qui vadit ad aſpergendum Chorum debeat capite detecto facere Archiepiſcopo reuerentiam, quando ante eum tranſit; & an debeat ſiſtere ſe, & caput inclinare quando cantatur *Gloria Patri, &c?*

137. An tunc temporis liceat Diacono, & Subdiacono operto capite ſtare, atque eodem modo ſalutare Prælatum, maximè quando ob reuerentiam Presbyteri celebrantis, dum ante illos tranſit, capita detegunt?

138. An in Veſperis, & Laudibus, etiam ſolemnibus, liceat Presbytero celebranti in Cathedrali non indui Pluuiali, niſi finito Capitulo?

139. An Canonici Cathedralis debeant coram Archiepiſcopo, maximè celebrante ſolemniter, facere Circulos quos, diſponit Cæremoniale, ac proprias ſedes ad hunc effectum relinquere?

140. An liceat Capitulo, dum fit in Miſſa Confeſsio, & in publicis Litanijs

nijs, Sanctos Patronos, & alios suæ deuotionis addere, seu inuocare?

141. Quo loco, ordine, & forma debeant incedere Presbyter, Diaconus, & Subdiaconus, & alij Præbendati, & Ministri Cathedralis, dum fiunt Processiones intra Ecclesiam; & an sit permittendum, quod in huiusmodi Processionibus recitentur Responsoria pro defunctis?

142. An deceat quod aliquibus diebus triplici, aut quadruplici benedictione benedicatur populus per Præbendatos Cathedralis cum Sanctissimo Sacramento, vel cum signo Crucis?

143. An eosdem Præbendatos deceat vti in Choro chirotecis, & alijs huiusmodi; & an Archiepiscopus possit prohibere hos, & similes excessus: Quæ verba, & quo ordine dicenda sunt in collecta, *Et famulos tuos*?

144. An possit Archiepiscopus prohibere ne Præbendati assistant in ludis publicis Taurorum?

gregacion
...cado
...antenda
...egirion